



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. Vtrum actus interior & exterior sint vnum numero peccatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

D V B I V M.

Virum actus interior & exterior sint unum numero peccatum?

17
Scotus docet esse duo peccata.

Scotus Quodl. 18. art. 3. docet propriè esse duo peccata. Eadem est sententia Gabriëlis in 2. dist. 42. art. 2.

Primò, Quia sunt duo actus distincti, quorum vterque secundùm se habet propriam repugnantiam contra rectam rationem, & legem diuinam.

Secundò, Quia diuersis præceptis prohibentur furtum externum, & voluntas furandi; adulterium externum & concupiscentia vxoris alienæ, vt patet in præceptis Decalogi.

Tertiò, Quia actio externa punitur: ergo per se est peccatum.

Actus interior & exterior physice sunt duo actus.

Respondeo & Dico Primò, Voluntas interna & opus externum sunt actus distincti, habentque distinctas bonitates & malitias, si physice loquamur. Vnde & physice dici possunt duo mala opera, & duo peccata. Et hoc tantùm probat prima ratio.

18
Moraliter vnus.

Dico Secundò, Moraliter tamen sunt vnus numero actus & vnus peccatum. Est communis sententia Doctorum.

Ratio est primò, Quia voluntas interior, & actus exterior habent eandem numero libertatem; vt patet ex supradictis, quæst. 17: atqui libertas tribuit esse morale actui: ergo habent idem esse morale, ac proinde sunt vnus actus in genere moris: sicut anima & corpus sunt vnus viuens, vnus sentiens, quia habent vnã vitam & eundem sensum: corpus enim eodem sensu sentit, quo anima, & eadem vitã viuunt. Pari modo actus externus eadem bonitate est laudabilis quã actus internus.

Secundò, Quia vnitas moralis sicut & artificialis, non postulat tantam simplicitatem & partium coniunctionem, quantam vnitas naturalis: sicut enim vt opus artificiale sit vnus, v. g. vna domus, vna vestis, non requiritur nisi certa partium dispositio & coherentia; ita vt actio sit vna moraliter, sufficit dependentia exterioris ab interiore, & habitudo ad vnus terminum.

Tertiò, Quia actus exterior naturã suã pendet ab interiore, estque eius veluti complementum & terminus: ergo in ratione moris non debet cenferi opus distinctum.

Omnis actus qui ordinatur quodam ex vi vnus intentionis sequuntur, censentur vnus actus.

Hinc fit vt omnes actus qui ordine quodam ex vi alicuius intentionis sequuntur & ad vnus terminum tendunt, censentur moraliter vnus numero actus; quia habent inter se connexionem, & dependentiam, & ordinem ad vnus terminum: vt intentio, consilium, iudicium, electio, imperium, vsus. Et quamuis intentio, electio & imperium, habeant diuersam libertatem, tamen propter connexionem & dependentiam in ordine ad eundem terminum, censentur moraliter vnus actus. Maior tamen est vnitas moralis, vbi tantùm est vna libertas.

Ex dictis patet Responso ad primum argumentum.

Soluntur Argumenta Scoti.

Ad secundum, Illi actus diuersis præceptis prohibentur, non quòd diuersa sint peccata, sed vt populus ille intelligeret, non solum opus externum, sed etiam internam cupiditatem, pec-

catum esse. Itaque ob illius populi ruditatem hoc factum.

Ad tertium, Numquam actio externa secundùm se punitur, id est, præcisa voluntate interna. Sed sicut sola bona voluntas meretur laudem, ita sola mala voluntas meretur penam.

ARTICVLVS IV.

Virum actus exterior aliquid bonitatis vel malitia addat actui interno?

19
Prima Conclusio. Actus exterior quatenus est bonus ex ordine ad finem, nihil bonitatis addit actui interno. Ratio est, Quia tota hæc bonitas est in solo actu interno, & solum denominatione extrinseca tribuitur externo.

Secunda Conclusio. Actus exterior vt est bonus ex materia & circumstantijs, aliquid addit actui interno. Ratio est, Quia talis actus exterior secundùm se habet bonitatem obiectiuam, quæ formaliter terminat actum voluntatis, & hanc bonitatem addit actui interno.

Tertia Conclusio. Si desit facultas operandi, & voluntas alioqui ex se sit perfecta, actus interior solus tam est bonus moraliter, quàm interior & exterior simul. Probatur, Quia tunc defectus actus externi est omnino inuoluntarius: atqui inuoluntarium sicut non meretur præmium, ita neque de præmio vel pœna quicquam detrahit.

20
Opus externum ad multa vnitas visus

Notandum, Opus externum per se multis modis aliquid commodi vel incommodi adferre, quod opus internum solum prestare non potest.

Primò, Quia scandalum & ædificatio proximorum, damnum & restitutio, pax & perturbatio generis humani, ex operibus externis prouenit.

Secundò, Quia sanctificatio per Sacramenta & per sacrificia fit operibus externis. Ipsum quoque externum martyrium habet vim sanctificandi, iuxta probabiliorẽ sententiam, quam interna voluntas sola non habet.

Tertiò, Quia actus externi valent ad satisfactionem pro pœna temporali, vt alibi ostensum est.

Quartò, Quia actibus externis incurruntur censuræ Ecclesiasticæ; vt excommunicatio, suspensio, interdictum, & irregularitas, non tamen nudis actibus internis quantumuis prauis.

Quintò, Quia actibus externis efficitur habiles ad rectè operandum: crebrò enim ieiunando, orando, officia charitatis obeundo, reddimur faciles & expediti: non similiter solo interno affectu, qui in opus externum exire non potest: hic enim affectus non ita vincit difficultates, quæ in opere sentiri solent. Passionum quoque moderatio & mortificatio maximè perficitur actibus externis.

Tripliciter affectus internus fit melior ratione operis externi.

Sextò, Actus externi sæpè sunt occasio cur affectus interior in seipso fiat melior vel peior: hoc autem fit tripliciter, vt colligi potest ex D. Thoma. Primò, Quia dum versamur in opere externo, vel spes est eius perficiendi, actus interiores multiplicantur. Secundò, Quia ratione operis externi diutius continentur. Tertiò

Quia,